



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

7. De longanimitate Dei

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

est propensior ad misericordiam,  
quam ad iustitiam, ut meritò dixerit  
Dauid : *Nunquid obliuiscetur misereri*  
*Deus, aut continuebit in ira sua misericor-*  
*dias suas ! Et Habac. Cum iratus fueris,*  
*misericordia recordaberis. Affectus penè*  
*ijdem repetendi.*

Psal. 76.

Hab.

## De longanimitate Dei.

I. Expende 1. quām latē se extendat  
Longanimitas Dei , ad omnia  
omnium hominum , maximorum e-  
tiam peccatorum, peccata, quantum-  
uis grauia & enormia, longanimitet  
ad longum etiam non raro tempus, to-  
leranda. 2. quām longa sit, coœua sci-  
liçet ipsi Deo qui, quos tolerat mis-  
ericorditer in tempore, decreuit sic to-  
lerare ab æternitate. 3. quām sublimis  
infiniteque intensa , cui nulla nechu-  
mana, nec Angelica longanimitas,  
nulla paterna, vel materna patientia &  
indulgentia queat comparari. 4. quām  
profunda & incomprehensibilis , quæ  
nulla hominum etiam contumacissi-  
morum & obstinatissimorum ingra-  
titudine & malitia possit exauriri. O  
longanimitatem verè diuinam, non  
humanā ! quam verè hanc intuens ex-  
clamauit Regius vates: *Miserator & mi-*

Psal. 102.

ser.

sericors Dominus, longanimis & mulium  
misericors. Quomodo miseretur pater fili-  
orum, misertus est Dominus item iubus se,  
quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Et Sapiens: Dissimulas peccata hominum, Sap. II.  
propter penitentiam, diligis omnia, qua-  
sunt; parcu autem omnibus, quoniam tua  
sunt, Domine, qui diligis animas: Ad-  
miratio, amor, gratitudo, fidu-  
cia.

II. Quomodo hanc longanimita-  
tem à condito mundo hucusque exer-  
cuerit erga tot peccatores; protopla-  
stis parentibus tam misericorditer  
parcendo, & tam admirabile medium  
reparando generi humano prodendo;  
mundum ob tot horrenda scelera, ge-  
nerali diluvio delendum, tot annis  
tolerando, & per Noe præmonendo:  
populum Israeliticum tot annis rebel-  
lem, ingratum & impium misericor-  
diter sustinendo, & ad resipiscendum  
prouocando: tot regum impiissi-  
morum & Monarcharum abominan-  
da flagitia, tot priuatorum hominum  
inaudita facinora plurimis annis  
non infrequeñter dissimulando. Quæ  
paterna maternaque indulgentia  
huic longanimitati queat compara-  
ri? quis pater, aut quæ mater has

Aa 2 toleret

tolereret iniurias molestiasque in unico filio, quas Deus quotidie tolerat in ingratissimo mancipo? Affectus igitur cum zelo imitandi similem in aliorum defectibus tolerandis longanimitatem.

III. Quomodo eandem longanimitatem Deus tibi hucusque à puerō exhibuerit, tot tantasque tuas iniquitates, ingratitudines, & negligentias tam paternè dissimulando, tam patienter tolerando, ad pœnitentiam te exstimplando. Hæccinè à proximo tuo, quantumuis amicissimo patereris, que Deus à te terræ vermiculo hucusque passus est, hodieq; pati dignatur? Cauē ergo ne amplius tanta bonitate abutare. Audi. Apostolum monentem:

Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius; & patientia; & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizasti ibi iram, in die ira; & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique secum opera eius. Gratitudo, amor, dolor de ingratitude, zelus cœmendandi.*

(. .)

Do-